


Google


SIGILLVM ACADEMIAE HARVARDIANAE IN NOV ANG
ET
CHRISTO ECCLESIAE
VE
RI
TAS



DE
REBUS EPHESIORUM.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

WALT. COPLAND. PERRY,

BRITANNUS.

GOTTINGAE,

EX OFFICINA HENRICI CAROLI SEEMANN.

MDCCCXXXVII.

A. H. L. HEERENIO


ET

CAR. ODOFR. MÜLLERO

EXAMINATORIBUS SUIS

D. D. D.

PIA MENTE



AUCTOR.

Amazones Ephesum condidisse atque Dianae sacra ibi instituisse inter omnes fere scriptores antiquos convenit, et a quibusdam tempus etiam, quo ea urbs fundata sit, satis definitum est [1]). Dicunt enim Amazones, quum se a Scythis sejunxissent, regna ad Thermodontem fluvium constituisse, et totam Asiam permensas in Atticam quoque, regnante Theseo irrupisse [2]). Hoc tempore igitur Ephesum multasque alias Asiae urbes condidisse creduntur.

---

1) Vid. Strabo XI. 771. XII. 827, Athenaeus. 1. 31. d., Hygini Fabul. 223. Avienus descript. orbis 992. Steph. Byzant. s. v. Ἔφεσος, Eustath. ad Dionys. Perieg. 828. Callimachi Hymn. in Dian. v. 238. conf. Raschius Lex. Numm. II. p. 1. Paus. VII. 239. 4. Heraclid. Pont. de Politiis. 33.

2) Oros. I. 15. Paus. Attic. XLI. 7. Philostrat. Heroicc. XIX. p. 750. Herod. IX. 27. Pind. Ol. XIII. v. 86. ed. Dissen.

I.

De Ephesi nominis origine.

A Pausania vetustas multo major Dianae templo tributa est, et alia origo. Illos omnino errare putat, qui dicant, id Thesei temporibus et ab Amazonibus conditum fuisse. Amazones enim Thesei aetate sacra templo jam condito fecisse dicit, et multo ante Herculem fugientes et temporibus etiam antiquioribus Liberum Patrem. Non igitur ab Amazonibus fundatum esse templum sed a Creso indigena et Epheso, Caystri filio [1], a quo nomen inditum esset urbi. Sed de nominis Ephesi origine alii alia. Suidas [2] nomen ab Epheso Lydio ducit, qui ibi tabernam deversoriam haberet, et viatores hospitio exciperet. Cum illo consentit Etymologici magni auctor, et praeter hanc appellationis originem multas alias commemorat [3]. Veluti re-

1) Pausan. VII. 239. 4.

2) Suid. s. v. *Διαιτίς*.

3) Etym. magn. s. v. *Ἔφεσος*, conf. Eustath. ad Hom. *μ*. p. 1714.

fert alios nomen ab Amazone Lydia derivasse, quae prima Deam coluisse, et Ephesiam nominasse ferebatur, unde urbi populoque nomen. Alii vero nomen Ἔφεσος a verbo ἐφεῖναι ducebant. Narrant, enim Amazones, quum Theseus Herculesque expeditionem contra eas, ad Hippolytes balteum quaerendum, facerent, ad Dianae aram confugisse, atque ibidem deam ἐφεῖναι αὐταῖς τὴν σωτηρίαν, unde verbum Ἔφεσος. Similia Eustathius 1), qui tradit, alios Ephesum Dianae ministram fecisse, quae filiam Amazonem haberet. Hactenus de nominis origine.

II.

De Epheso ante Androcli tempora.

De Ephesi rebus ante Androcli tempora perpauca habemus, quae dicamus. Hoc tantum

---

4) Eustath. ad Dion. 828. Ἔφεσον κατὰ παραγραμματισμὸν ἀντὶ τὴν Ἄφεσον.

a Strabone Herodotoque discimus, urbem in Ephesi vicinitate jam conditam, et a Caribus Lelegibusque habitatam fuisse. Tempore enim, quo Androclus coloniam deduxit, Cares, quibuscum Lydi conjuncti, loca urbis superiora, quae ad Coressum montem spectant, tenebant. Ab illis maxima habitabatur urbs: sed etiam alii e gente Amazonum, atque exsules ibi asylum quaerentes, circa Dianae templum habitasse feruntur [1]. De incolis illis Asiaticis nihil certi compertum habemus, sed verisimile videtur, illos primum templum aedificasse, et Dianae Multimammiae cultum induxisse. Satis notum est, Dianam duabus formis ab Ephesiis cultam fuisse, quarum altera Diana omnibus Graecis communis, altera Asiatica et Ephesiis propria. Utramque formam in nummis antiquis expressam invenimus. Hieronymus de Pauli epistola loquens: „Scribebat „(Paulus) ad Ephesios Dianam colentes, non „hanc venatricem, quae arcum tenet, et suc„cincta est, sed illam Multimammiam, quam „Graeci *πολύμαστον* vocant, ut scilicet ex ipsa „quoque effigie mentirentur, omnium eam be-

---

1) Pausan. VII. 239. 4 — 7. Strabo XIV. 948. B. Aelian. VIII. 5.

„stiarum et viventium esse nutricem [1]." Haec Hieronymus.

Quidam vero putant, hanc Dianam multimammiam eandem fuisse cum *Οὖπι*, virgine ex Hyperboreis [2]), quae postea quidem ut Dianae comes repraesentata esset, temporibus autem antiquioribus Dianam ipsam sub hoc nomine in Asia cultam fuisse [3]). Alii nomen et cultum ex Aegypto orta esse putant. Tempore autem posteriore *Οὖπις*, Dianae epitheton factum est, atque etiam Dianae venatrix a Callimacho, Alexandro Aetolo et Virgilio ita cognominata est [4]). Sed quamquam deae Asiaticae nomen proprium sublatum est, forma cultusque usque ad Pauli tempora remansit.

---

1) Vid. Raschius Lex. Rer. Num. conf. Eckhel. Doct. Numm.

2) Herod. Melp. 33. 34. 35.

3) Vid. Allgem. Hall. Encyclop. s. v. Artemis.

4) Alex. Aetol. in Musis p. 79. Capellmann. Callim. Hymn. in Dian. 204. Virgil. Aen. XI. 532. (Scholia ad Callim. in Dian. 204. *Οὖπις· ἐπίθετον Ἀρτέμιδος· ἢ παρὰ τὸ ὀπίζεσθαι τὰς τικτούσας, ἢ παρὰ τὴν θρέψασαν αὐτὴν Οὖ.* (Vid. Mülleri Dorienses. p. 368.)

III.

De Ephesi situ.

I. Ioniae coeli temperies, terraeque fecunditas temporibus et antiquis et recentibus valde celebrata est. Praecipue Herodotus hanc terram omnium felicissimam vocat. *Οἱ δὲ Ἴωνες*, ait, *ἐν τῷ καλλίστῳ ἐτύγχανον ἱδρυσάμενοι πόλιας πάντων ἀνθρώπων τῶν ἡμεῖς ἴδμεν* 1). Sub hoc coelo suavissimo a nimio frigore et calore aeque remoto, patriam, patria antiqua multo pulchriorem, invenerunt, et inter montium et maris multorumque fluviorum commoda divites potentes fiebant. Maxime in urbium situ eligendo se sapientes praebebant, neque ulla urbs ut mihi videtur, Ephesi situ felicior erat, ad opes mercatura parandas commodissima 2). Magna Ephesi per tempora

1) Vid. Herod. I. 142. conf. Chandler. travels in Asia minor. et Voyage de Spon. De Ephesi vino excell. Strabo XIV. 945. A.

2) Strabo XIV. 950. C. *Ἡ δὲ πόλις τῇ πρὸς τὰ ἄλλα εὐκαιρίᾳ, τῶν τόπων αὔξεται καθ᾽ἑκάστην ἡμέραν ἐμπόριον οὖσα μέγιστον τῶν κατὰ τὴν Ἀσίαν τὴν ἐντὸς Ταύρου*. conf. Pausan. Achaia VII. 5. 2.

posteriora fama factum est, ut multi eam etiam antiquissimis temporibus urbium Ionicarum μητρόπολιν fuisse putarent; quod ipse Strabo, Ephesum τὸ βασίλειον τῶν Ἰώνων vocans, fecit [1]. Is autem honos sine dubio urbi Mileto tribuendus est, quam Neleus ipse condidit coloniae dux, sedemque regiam constituit [2]. Haec per multa saecula omnium urbium Ionicarum longe potentissima opulentissimaque erat. Ephesi vero opulentia celebritasque post Miletum deletam initium cepit, postquam Ionia in Macedonum et Romanorum ditionem redacta est. Eo quidem tempore digna erat, quae πόλις Ἰωνίας ἐπιφανεστάτη [3], urbs clarissima [4], alterum lumen Asiae [5] vocaretur, cujusque calamitas verbis Duridis τοῦ Ἐλαΐτου ploraretur.

---


1) Strab. XIV. 938. B.

2) Aelian. var. hist. VIII. 5. Her. I. 143. Plin. hist. n. V. 29.

3) Steph. Byz. s. v. Ἔφεσος· πόλις Ἰωνίας. Herod. Ephesum ad Lydiae urbes numerat. αἵδε ἐν τῇ Λυδίᾳ, Ἔφεσος. etc. I. 142. Forte quia Lydorum olim fuit, atque hi Carum consanguinei, qui antea simul Ephesum tenerent. vid. Tzschuck. not. exeg. in Pomp. Mel. I. 18. 2.

4) Solin. c. XL.

5) Plin. hist. nat. V. 29.



DE REBUS EPHESIORUM.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

WALT. COPLAND. PERRY,

BRITANNUS.

GOTTINGAE,

EX OFFICINA HENRICI CAROLI SEEMANN.

MDCCCXXXVII.

linus [1]) flumen ex Gallesi jugis ortum in Seli-nusium lacum a mari effusum defluit, qui, ut jam diximus ad septentrionem, secundum Cay-stri ostia, situs est. In lacus illius parte pro-fundissima, fanum regium ab Agamemnone dedi-catum, et eam ob causam Ἀγαμέμνονος ἵδρυμα nominatum fuisse fertur [2]). Lacus Selinusii Ephesiis magnos reditus praebebat, quos Deae consecratos, Reges sibi arripuerunt. Romani au-tem, Artemidoro ad lacum recuperandum Ro-mam misso, vectigalia Deae restituerunt. Re-ditus illi maxime e piscibus constitisse videntur quorum pretia tantae urbis vicinitate maxima esse debebant. Menander in „Ephesio" κωβιούς sine dubio e lacu Selinusio captos memorat: *A.* Τῶν ἰχθυοπωλῶν ἀρτίως τις τεττάρων

Τῶν δ' ὥστ' ὀρνίθων πετεηνῶν ἔθνεα πολλὰ
Ἀσίῳ ἐν λειμῶνι Καΰστρίου ἀμφὶ ῥέεθα. Inde „Caystrius ales ap. Ovid. Met. V. 386 et II. 252 Eustath. ad Hom. Il. β. 461. vid. Eckhel. doct. numm.

1) Strabo VIII. 593. B. Xen. Anab. V. 3. 4. (Chandler. p. 131.

2) Strabo XIV. 951. A. μεγάλας ἐχούσαι προσόδους ἃς οἱ βασιλεῖς μὴν ἱερὰς οὔσας ἀφείλοντο τὴν Θεόν.

Δραχμῶν ἐτίμα κωβιούς. B. *πολλοῦ σφόδρα* 1).
Ad meridiem Caystri fluminis paullo a mari remotus est collis, Prion vel *Λεπρὴ ἀκτὴ* 2). Urbis ipsius prima pars in planitie inter hunc collem et mare; secunda a Prione versus flumen Caystrum porrecta; tertia pone Prionem inter hunc collem et Corissi loca aspera, *Τρηχεῖα* nominata, sita est. Haec tertia pars Smyrna vocata, unde etiam Epheso nomen. Mons ille Prion magnam marmoris copiam praebebat, quod multum ad urbem ornandam contulit 3). Trans portum Panormum, Neapolim versus fuit Ortygia lucus in sinu per quem fluebat Cenchrius amnis 4). Inde Ephesus Ortygia quoque vocata est. Hic

---

1) Menand. ap. Athenaeum VII. 309. E. Meinek. Menand. p. 70.

2) Strabo XIV. 940. A. „Hujusmodi loca *πρίωνας* fortasse vocaverunt, quod veluti serrata essent, et ob asperitatem et inaequalitatem dentibus serrae similia." Casaub. ad Strab. cf. Athen. VIII. 26. Pausan. VII. 5. 5, ubi Salmas. (Exercit.) pro *Πίων*, *Πρίων* legendum esse putat.

3) Vid. Chandler. p. 126.

4) Strabo XIV. 947. C. Pausan. VII. 5. 5. Tacit. Ann. XII. 61. cf. Alex. Aetol. Frag. XIII, coll. Capellm. *Ἧτ' ἐπὶ Κεγχρειῷ τίμιον οἶκον ἔχει,* et Eckhel. doct. num.

A. H. L. HEERENIO


ET

CAR. ODOFR. MÜLLERO

EXAMINATORIBUS SUIS

D. D. D.

PIA MENTE



AUCTOR.

totius nomina fuisse putanda, sed potius partium urbis.

I. Alope vocata est, ut refert Plinius, quum pugna erat apud Troiam[1]). Haec appellatio cum Ephesi origine Amazonica coniungi posse videtur. Stephanus enim ita scripsit. Ὅμηρος τὴν (sc. Ἀλόπην) μεταξὺ Μυσίας καὶ Καρίας καὶ Λυκίας παράλιον φησὶν[2]), quocum consentit Eustathius[3]). Pergit Stephanus: τρίτη (Ἀλόπη) πόντου ἀφ᾽ ἧς Πενθεσίλεια. Palaephatus quoque, apud Strabonem, Amazones olim Alopen incoluisse putat, Strabo vero dicit, Ἀλόπην Ἀλόβην et Ἀλύβην[4]) a quibusdam nominatam fuisse Demetrium Scepsium de eadem re tractantem laudat: ὑπονοεῖ δὲ καὶ ὁ Σκήψιος τὴν τοῦ ὀνόματος μετάπτωσιν ἐξ Ἀλύβων εἰς Χάλυβας[5]). Χάλυβες autem secundum Stephanum gens erat circa Pontum ad Thermodontem fluvium. Haec fortasse una gentium Scythicarum erat, quae cum ceteris in Asiam irrupit et nomen Alopem vel Alobem

1) Plin. hist. n. V. 29. cf. Hygin. fab. XIV.
2) Steph. Byz. s. v. Ἀλόπη.
3) Eustath. ad Hom. Il. β.
4) Strab. XII. 827.
5) Steph. Byz. s. v. Χαλύβες et Ἀλύβη.

secum Ephesum adduxit. Hecataeus apud Stephanum: Armenios simul cum Chalybibus ad austrum habitasse, refert. Inde fortasse illa Hesychii verba obscurissima: *Ἄρτεμις Ἀρμενίη ἡ, Ἔφεσος* [1] *Ἀρμενίη ἐκαλεῖτο*, ubi Kusterus, Albertus et Holstenius *Σαμορνίη* legere volunt, sed sine ulla auctoritate. Rev. Bielius contra *Αἱμονία* legit, quum Hesychius alio loco ita dixerit: *Αἱμονία ἡ Θεσσαλία καὶ ἡ Ἔφεσος* [2]. Quamquam in hac nominis derivatione non perstiterim, quum Strabo ipse Alopem in Ponto fuisse omnino neget (ante ejus quidem tempus opinio vulgatissima fuerat) et eum errorem e versu Homeri:

Ἔλθοντ' ἐξ Ἀλόπης, ὅθ' Ἀμαζονίδων γένος ἐστί.

qui spurius sit, oriundum putet [3]. Potest etiam alio modo explicari ex Neptuni cultu; Alope enim, Cercyonis filia, Neptuni amplexu Hippothoontem peperit. Inde, ut videtur, Alope, Thessaliae urbs nominata est [4]. In Thessalia

---

1) Hesych. s. v. *Ἄρτεμις.*

2) vid. Albert. ad Hes. s. v. *Ἄρτεμις* et s. v. *Αἱμονίη*. cf. Apoll. Rhod. Schol. III. 1089. Cyrill. Lex M. S. *Αἱμόνια ἡ Θεσσαλικὴ Ἔφεσος.*

3) Strab. XII. 827. Berkel. ad Steph. s. v. *Ἀλόπη.*

4) Eustath. ad Hom. Il. β. *Ἡ δὲ Ἀλόπη πόλις καὶ αὕτη Θεσσαλικὴ ὁμωνυμεῖ Ἀλόπῃ θυγατρὶ Κερκυόνος*

vero maxime colebatur Neptunus, cujus filii Pthius, Pelasgus et Achaeus coloniam in Thessaliam duxisse ferebantur. Post sextum autem saeculum Pelasgi a Curetibus, Lelegibus, aliis, a Parnasso duce Deucalione ex Thessalia expulsi sunt [1]. Illo tempore Thessalia vocabatur Haemonia ab Haemone, Thessali patre [2]. Sed et Ephesum Haemoniam vocatam fuisse ex Hesychio, Cyrilloque discimus, et satis notum est, Neptunum temporibus antiquissimis Ephesi cultum fuisse. Si igitur illum a Pelasgis translatum fuisse crediderimus, nomina illa Ephesi Alope et Haemonia explicare possumus [3].

ἢ Ἄκτορος. cf. Hygin. Suid. s. v. Paus. Attic. V. 2. XXXIX. 3. XIV. 2.

1) Dionys. Ant. I. p. 45. cf. Schol. Apoll. I. 580.

2) vid. Alberti ad Hesych. s. v. *Αἱμονία*. cf. Rhianum ap. Schol. in Apoll. Rhod. III. 1090. (p. 37. ed. Saal.)
Αἱμονίην δ' ἐξαῦτις ἀφ' Αἵμονος ὅν ῥα Πελασγὸς Γείνατο φέρτατον υἱὸν, ὁ δ' αὖ τέκε Θεσσαλὸν Αἵμων. cf. Grüb. Myth. lex.

3) Et Magnesia, urbs XV. mill. passuum ab Epheso sita, Coloniam ex Thessalia accepisse dicitur. „Magnesia, Maeandri cognonime insignis, a Thessal. Magnesia orta." Plin. hist. n. V. 30. *Μαγνησία· ἡ πρὸς Μαιάνδρῳ Μαγνήτων ἀποικία τῶν ἐν Θετταλίᾳ καὶ Κρητῶν*. Strab. XIV. 943.

II. Morges. Et hoc nomen apud Plinium invenimus [1], sed num alius scriptor ejus mentionem faciat, ignoro. Sed nominum Epheso tributorum plura partium tantum urbis appellationes erant, veluti

III. Sisyrbe, quae ut multae aliae ab Amazonibus translatae appellationes ab Amazone Σισύβρᾳ deducta esse fertur [2]). Illam partem quandam Ephesi fuisse memorat Strabo, et illo duce Stephanus, sed de situ Sisyrbae aliunde nihil habeo compertum.

IV. Ortygia [3]). Nam sic quoque nominatam fuisse Ephesum memorant Strabo, Plinius, Tacitus, Stephanus, alii. Ortygia autem silva erat ante Ephesum (διαπρεπὲς ἄλσος παντοδαπῆς ὕλης), quam perfluebat Cenchrius fluvius, ut jam dixi. Ibi Latonam peperisse et Ortygiam illi nutricem affuisse fingunt. Supra lucum fuit mons Solmessus vel Κηρύκειον (vid. supra). Nomen Ortygiae cum fabula de Latonae partu ar-

1) Plin. hist. nat. V. 29.

2) Strabo XIV. 947. C. cf. Byz. s. v. Ἔφεσος. Plin. V. 29. Tacit. ann. III. 61.

3) Strab. XIV. 947. C. Steph. Byz. s. v. Ἔφεσος Plin. V. 29.

ctissime conjunctum fuisse videtur, nam Delus [1]) quoque insula, in quam plerique Latonae partum transferunt, ita vocata est, ut in Homero Od. XV. 403.

Νῆσός τις Συρίη κικλήσκεται, εἴ που ἀκούεις
Ὀρτυγίης καθύπερθεν,

et in Virgilio Aen. III. 124.

Linquimus Ortygiae portus, pelagoque volamus.

Nicander, historiarum scriptor, in libro *Αἰτωλικῶν* tertio, dicit Delum Ortygiam nominatam esse non (ut plerique ferunt) ab Asteriae Latonae sororis transformatione, sed ab urbe Ortygia in Aetolia sita, *ἀφ' ἧς καὶ αἱ λοιπαὶ πᾶσαι ὠνομάσθησαν (ἀλλὰ καθὸ πᾶσαι αἱ Ὀρτυγίαι ἀποικίαι εἰσὶ τῆς κατ' Αἰτωλίαν Ὀρτυγίας* [2]).

---

1) Strabo X. 744. Berkel. in Steph. s. v. *Δῆλος.* Isidor. XIV. Orig. Ipsa est Ortygia, eo quod primum visae sunt cothurnices. Hesych. *Ὀρτυγία· ἡ νῦν Δῆλος καλουμένη.*
Οἱ δ' ἐξ Ὀρτυγίης Τιτηνίδος ὁρμηθέντες.
οἱ μὲν τὴν Ἔφεσον, οἱ δὲ τὴν πρότερον Δῆλον.
Schol. ad Apoll. Rhod. I. 419.

2) Nic. ap. Sch. ad Apoll. Rhod. I. 419. cf. Spanhem. in Callim. hym. in Delum. v. 37. Hygin. XXIII. Ita vocata est insula, urbi Syracusis adjacens. *Ὀρτυγία νῆσος ταῖς Συρακούσαις παρακειμένη τὸ πρότερον· νῦν δὲ συνήφθη τῇ*

Si autem verum est, coloniam ex Aetolia Ephesum ductam fuisse, et montis *Κορήσσου* vel *Κορίσσου* 1) nomen inde explicare possumus. (Coressus vero vocatum est montium jugum, cujus Solmessus mons, supra memoratus, promontorium erat in mare porrectum et in lucum Ortygiam imminens.) Cum fabula enim de Latonae partu non modo nutrix Ortygia sed *Κουρῆτες* qui, ut jam dixi, in monte Solmisso stantes Latonam parientem a Junone insidiante occultaverant 2), arctissime conjuncti sunt. Curetes autem sedes suas in Aetolia habebant, et Aetolia ipsa olim *Κουρῆτις* vocata est, ut discimus statuae Oxyli inscriptione in foro Eleorum 3).

Αἰτωλός ποτε τόνδε λιπὼν αὐτόχθονα δῆμον
Κτήσατο Κουρῆτιν γῆν δορὶ πολλὰ καμών.

In luco Ortygia usque ad Strabonis tempora festivitas quotannis in Latonae honorem magno

---

πόλει ταῖς Συρακούσαις. Schol. in Pind. ol. VI. v. 92. ed. Diss.

1) Athen. VIII. 16. Strab. XIV. 980 et 987. Herod. V. 10.

2) Strabo XIV. 948. *Ὑπέρκειται δὲ τοῦ ἄλσους ὄρος ὁ Σόλμισσος ὅπου στάντας φασὶ Κουρῆτας τῷ ψόφῳ, τὴν Ἥραν τῶν ὅπλων ἐκπλῆξαι.*

3) Strabo X. 712. ubi et Homerum laudat Il. 544. *Κουρῆτες δ' ἐμάχοντο καὶ Αἰτωλοὶ μενεχάρμοι.*

cum splendore sollennitateque ab adolescentibus celebrabatur, et eodem tempore Curetum collegium convivia agitare et quaedam sacra mystica facere solebat [1]. De Curetibus ipsis variae sunt opiniones. Mihi quidem illos gentem Aetoliae sacerdotalem fuisse verisimile videtur, neque credere possum Curetes sacerdotes a gente Curetica omnino diversos esse. Sed de illis multa dicere non est hujus loci. Plura invenies apud Strabonem, Pausaniam, Athenaeum [2].

V. Smyrna [3]. (*Σμύρνα* vel *Σάμορνα*). Illud nomen Epheso saepissime datum est. Et Smyrna quoque Amazon erat [4], quae urbem Ephesum occupavit, et nomen urbi hominibus-

---

1) Strabo XIV. 948. B. *τότε δὲ καὶ τῶν Κουρήτων ἀρχεῖον, συναγει συμπόσια καί τινας μυστικὰς θυσίας ἐπιτελεῖ.*

2) De Curetibus vid. Strab. X. Paus. V. 7. 4. X. 31. VII. 24. Athen. XII. 528. Gronov. Thes. p. 309. sqq. cf. Grüber lex. myth. s. v. Kureten.

3) vid. Plin. V. 24. cognomine Trachea. Steph. Byz. s. v. *Σμύρνα,* Hesych. ed. Alberti. Strab. XIV. 939. B. Eustath. ad Dion. 828.

4) Strabo XIV. 940. A. cf. Raschium doct. num. et Eckhel. lex. numismaticum.

que dedit. Ita Callinus, poeta, Ephesios vocat Jovem apprecans:

Σμυρναίους ἐλέησον.

Smyrna autem Ephesi pars erat in valle inter Prionem et Tracheam, ut ex Hipponactis Ephesii versibus discimus:

Ὤικει ὄπισθεν τῆς πόληος ἐν Σμύρνῃ
μεταξὺ ὁ Τρηχείης τε καὶ Λεπρῆς Ἀκτῆς.

Lepre Acte posterior pars Prionis erat, quae ad Coressum spectat, Trachea autem Coressi montis loca praerupta asperaque, Prionis ex adverso, unde Ephesus et Trachea vocata est 4). Hic locus Strabonis temporibus nomen ὀπισθολέπρια habuit.

Smyrnaei, ait Strabo, remotius ab ea urbe, quae hodie est, pone montem habitabant, postea discessione ab Ephesiis facta, Smyrnam veterem condiderunt, quae a Smyrna, quae nunc est, circiter XX. stadia distat. Inde vero Smyrna una de duodecim Aeolensium urbibus facta est. Seditione autem coorta, Smyrnaei ab Aeolensibus expulsi, se Colophonem, urbem Ionicam, receperunt, et deinde Colophoniis adjuvantibus

---

4) Athenaeus. VIII. p. 361. Strabo. XIV. 940. Plin. V. 29. Steph. Byz. s. v. Ἔφεσος.

suam urbem insidiis recuperaverunt 1). Sic Smyrna Ionum facta est et sequentibus temporibus in urbium Ionicarum conventum, auctoribus Ephesiis assumta est. *ἦσαν γὰρ αὐτοῖς σύνοικοι τὸ παλαιὸν, ἡνίκα καὶ Σμύρνα ἐκαλεῖτο ἡ Ἔφεσος* 2). Ibi habitabant Smyrnaei usque ad Alyattis Lydiae regis tempora. Gygem enim, qui jam antea urbem ceperat, maxima cum virtute ejecerunt 3). Ab Alyatte autem a. C. 571. Smyrna diruta et exinde *περὶ τετρακόσια ἔτη διετέλεσεν οἰκουμένη κωμηδόν* 4). Ab Alexandro, somnio monito, ut narrat Pausanias (VII. 5.), ab Antigono autem, et

---

1) Pausan. VII. 5. Herod. I. 150. Strabo XIV. 940, ubi Mimnermum laudat, Smyrnae in Nannone mentionem facientem, ut de qua semper fuerit certatum.

Ἡμεῖς δ' αἰπὺ Πύλον Νηλήϊον ἄστυ λιπόντες
Ἱμερτὴν Ἀσίην νηυσὶν ἀφικόμεθα.
Ἐς δ' ἄρα τὴν Κολοφῶνα βίην ὑπέροπλον ἔχοντες
Ἑζόμεθ' ἀργαλέης ὕβριος ἡγεμόνος
Κεῖθεν δ' Ἀστύεντες ἀπορνύμενοι ποταμοῖο
Θεῶν βουλῇ Σμύρναν εἵλομεν Αἰολίδα.

2) Strabo XIV. 989. Herod. Clio. 143.

3) Pausan. IV. 21. 3. Herod. Clio. 14.

4) Strabo XIV. 956.

postea a Lysimacho, ut refert Strabo, denuo aedificata est XX. circiter stadia ab urbe veteri.

VI. *Πτελέα, ἔστι καὶ πόλις, οὕτω γὰρ ἡ Ἔφεσος ἐκαλεῖτο* 5). Haec quoque pars quaedam Ephesi erat, in qua, ut dicunt, aedificatum erat Dianae templum. Hic enim Amazones *βρέτας* erexisse ferunt *πρέμνῳ ἐπὶ πτελέης*, unde nomen illi urbis loco datum:

Ἔνθα θεῇ ποτὲ νηὸν Ἀμαζονίδες τε τύκοντο
Πρέμνῳ ἐπὶ πτελέης. 6)

---

5) Steph. Byz. s. v. *Ἔφεσος* et *πτελέα*. cf. Plin. V. 29. Eustath. ad Dionys. v. 823.
6) Dionys. 828.

Inde a temporibus, quibus colonia Ephesum ab Androclo deducere est, usque ad Croesi tempora.

Quum Medon Athenis Archon factus esset, Neleus Androclusque id aegre ferentes coloniam deducere statuerunt. Ioniae [1]) ubertatis fama commoti in ejus oras suavissimas multis cum navibus et Musis ipsis, ut dicunt, sub apium formis ducentibus [2]) prospere navigarunt. Neleus, coloniae dux, sedem regiam Mileti collocavit [3]).

---

1) Aelian. var. hist. VIII. 5.

2) Philostr. in imag. Mel. Plato in Ione sub finibus. Vellej. I. 4. quos laudat Eckhel. doct. num. „Apis alter Ephesiorum typus."

3) Paus. VII. 2. 1. Aelian. var. hist. VIII. 5. Herod. IX. 97. Strabo XIV. 938. Eustath. ad Dionys. Perieg. 823. Tzetzes ad Lycophron. p. 1378.

De Ephesi primordiis multae historiae traditae sunt, parum inter se convenientes. Neque ulla harum narrationum obscurior est, quam Malaci, libro de Siphniorum finibus [1]), quo tradit, Samiorum servos, numero mille, rebelles in montem ("Αμπελον) abiisse et Samios per sex annos gravibus damnis affecisse. Sed postea servos, quum Samii, oraculi monitu illaesos dimisissent, ex insula navibus egressos, Ephesum petiisse, καὶ ἐκ τούτων, addit, ἐγένοντο οἱ Ἐφέσιοι.

De tempore, quo coorta est seditio illa, nihil habeo quod addam, nec scio an alius scriptor ejus mentionem fecerit. Panofka quidem in libello „de rebus Samiis" eam tempore, quo Geomori imperium in Samo tenebant, coortam esse putat, sed nullos testes adducere potuit et omnino incertum relinquit.

Neque a Malaco tantum honor Ephesi conditae Samiis attributus est. Creophylus (vir Samius saepe a Strabone laudatus) etiam tradit coloniam e Samo Ephesum profectam esse, et ibi urbem condidisse. Narrat enim Ephesi conditores, dubitantes quo in loco aedificanda esset

4) Malacus apud Athenaeum. VI. 267.

civitas, ad deum misisse sciscitaturos, ubinam oppidum ponerent. Et deum oraculo monuisse, ἐνταῦθα οἰκίζειν πόλιν ἥντινα ἰχθὺς δείξῃ, καὶ ὗς ἄγριος ὑφηγήσηται. Et omnibus ad dei verba factis, Ephesios ex insula in qua XXI. annos commorati fuerant in continentem trajecisse, et in illo aspero monte ac locis, quae ad Coressum spectant, urbana aedificia exstruere incepisse, Dianaeque templum in foro et in portu Apollinis Pythii erexisse [1]. Illa fabula haud dubie de colonia ab Androclo ducta intelligenda est, tradit enim piscem, situm ὅπου ἡ κρήνη ἐστὶν Ὑπέλαιος καλουμένη ad urbem aedificandam monstrasse. Suem autem montis locum (ὁ δὲ καλεῖται Τρηχεῖα) et in ipsis locis novae urbis fundamenta ab Androclo locata fuisse feruntur. Verisimile ut igitur alia inter Samios de Ephesi primordiis tradita fuisse, atque inter Ephesios ipsos. Scriptores enim alii fere omnes tradunt, Androclum principio Ephesum petiisse, postea autem Samum per breve tempus occupasse. Sed Creophylus, ut videtur, rem ita se habuisse putabat, ut Androclus e patria egressus primo in Samo sedem collocaret,

---

1) Malacus ap. Athenaeum. VIII. 361. C.

et postquam ibi per sex annos commoratus esset, coloniam suam Ephesum duceret. Sed alia est Strabonis aliorumque narratio et fide dignior.

Ephesus jam ante Androcli adventum a Caribus Lelegibusque habitata erat, qui praecipue loca aspera supra Smyrnam occupaverant. Androclus illis vi expulsis domicilia iis, quos secum adduxerat circa Athenaeum et Hypelaeum posuit, occupatis etiam locis ad Coressum adjacentibus. Carum Lelegumque caesorum feminas et filias duxerunt Iones ipsi. Et aliud hominum genus, qui asyli caussa Ephesum fugerant, et feminae nominis Amazonici in templi solo sancto consederant, quos Androclus foedere icto in societatem recepit [1]). Victis incolis Ephesi

1) Strabo XIV. 938. B. VII. 494. Paus. VII. 23. Steph. Byz. s. v. *Βενναμία*. Plat. Io. p. 541. D. ed. Steph. *τι δέ; οὐκ Ἀθηναῖοι μέν ἐστε οἱ Ἐφέσιοι τὸ ἀρχαῖον καὶ ἡ Ἔφεσος οὐδεμίας ἔλαττον πόλεως;* Georg. Syncell. Chron. ed. Bonn. p. 340. Strab. XIV. 948. Paus. VII. 3. 3. VII. 2. 5. *Λέλεγες δὲ τοῦ Καρικοῦ μοῖρα καὶ Λυδῶν τὸ πολὺ οἱ νεμόμενοι τὴν χώραν, ἦσαν, ᾤκουν δὲ καὶ περὶ τὸ ἱερὸν ἄλλοι δὲ ἱκεσίας εἵνεκα κ. γύναικες τοῦ Ἀμαζόνων γένους.* VII. 2. 3. Herod. I. 146 *οἱ δὲ αὐτέων ἀπὸ τοῦ πρυτανηΐου τοῦ Ἀθηναίων ὁρμηθέντες, καὶ νομίζοντες γενναιότατοι, οὗτοι δὲ οὐ γυναῖκας ἠγάγοντο ἐς τὴν ἀποικίην, ἀλλὰ Καείρας*

prioribus. Androclus contra Samios expeditionem fecit, quod cum Caribus de bello inferendo consilia agitassent, iisque insulam eripuit. Hoc bellum tempore ortum est, quo Leogoras, Proclis filius, qui genus ab Ione ducebat Samo regnabat. Samiorum victorum pars in Thraciae insulam, quae olim Dardania, postea ab ipsis Σαμοθράκη nuncupata, coloniam deduxit [1]. At qui Leogoram secuti sunt, ii castellum Ἀιναίαν in adversa continenti terra muniverunt [2]. Ibi ab hostibus securi furando et latrocinando decem annos vitam tolerabant; et inde decimum post annum Samum adorti, pulsis Ephesiis, insulam receperunt [3]. Prienensibus non multo post bellum cum Caribus gerentibus Androclus auxilium tulit. Proelium ferox commissum et Caribus victis Androclus multis cum aliis Grae-

ἔσχον, τῶν ἐφόνευσαν τοὺς γονέας. Strabo. I. 19, ἡ τῶν Ἰώνων ἀποικία πολλὰ τοιαῦτα πταίσματα παραδέδωκεν.

1) Paus. VII. 4. 3. Antiphon ἐν τῷ Σαμοθρακικῷ λόγῳ. ap. Suid. s. v. Σαμοθράκη.

2) Paus. VII. 4. 3. Steph. Byz. s. v. Ἀναία. Thucyd. III. 32. VIII. 16. 17.

3) Plut. Ques. Grec. LV.

cis cecidit victor. Corpus ejus sublatum Ephesii sepulturae intra fines suos mandarunt, et usque ad Pausaniae tempora (ut ipse narrat) Androcli sepulcrum ostendebatur viâ, quae est inter Dianae et Olympii Iovis templa, media, ad portam Magnetidem 1). Sepulcro conditus est vir armatus; Androclus enim ob virtutem clarissimus fuisse videtur. Androclo mortuo, Ephesii regiam dominationem aegre ferentes seditionem contra filios ejus moverunt 2) et exsulibus e Teo (in qua simul seditio coorta est) 3) Carinaque adjuvantibus rem prospere quidem contra Androclidas gesserunt, sed ita, ut successores ex ea progenie, potestate regia amissa, nomen speciemque retinerent. Neque omnibus honoribus privati sunt. In consessu Ionum, quando certamina spectabantur, stolam purpuream, insigniaque règia et σκίπωνα 4) sceptri loco gerebant 5).

---

1) Paus. VII. 2. 6.

2) Steph. Byz. s. v. *Βενναμία.*

3) Strabo XIV. 952. D.

4) Similia portabant Senatores Romani. Liv. V. 42.

5) Strabo XIV. 938. A. *Καὶ ἔτι νῦν οἱ ἐκ τοῦ γένους ὀνομάζονται βασιλεῖς ἔχοντές τινας τιμάς.* Cic. de Div. I. 40. Omnino apud veteres, qui

Reges illi regibus sacrificulis (*ἀνακτοτελεσταί*) a Romanis Tarquinio expulso electis „ne ubiubi regni desiderium esset," valde similes et potius Sacerdotes quam reges fuisse videntur. Illis solis sacrorum Cereris Eleusiniaeque procuratio commissa est. Nomen regium usque ad Ephesi tempora recentissima permanebat, ut ex Achillis Tatii fabula de amoribus Clitophontis et Leucippes colligi potest. Apud illum enim invenimus judicium *πρόεδρον* tamquam e gente regia depictum, penes quem, ait Tatius, rerum capitalium judicium est, sed ita, ut secundum legem consiliarios e *γεραιτέρων* numero sibi eligere cogatur [1]). Ibidem Tatius legis Ephesiacae valde notabilis mentionem facit, quae ita mandavit: „se ipsum accusans capitis damnator" [2]). Permagnam fuisse illorum auctoritatem dubitari non potest, non modo enim Sacerdotium, sed sub

---

rerum potiebantur iidem auguria tenebant, ut enim sapere, sic divinare regale ducebant, ut testis est nostra civitas in qua et reges et augures et postea privati eodem sacerdotio praediti rempublicam religionum auctoritate rexerint." vid. Casaub. in Strab. ad loc.

1) Achill. Tat. ed. Boden. Lips. 1776. p. 608.

2) Ach. Tat. p. 610.

certis quibusdam legibus judicialem etiam potestatem tenuisse videntur. Et satis notum est, semper fieri solere, ut qui auguria judiciaque tenerent multum apud veteres valerent, qua de caussa Graecorum Romanorumque Optimates sacerdotium sibi vindicare studebant. Haec politia, *βασιλίδων ἀρχή* vocata est et usque ad Ephesi tyranni Pythagorae tempora permanebat [1]).

Sed summa potestas penes senatum conscriptum (*γερουσία καταγραφομένη*) erat [2]). Quo tempore constitutus sit, non accurate indicaverunt scriptores, sed sine dubio temporibus antiquioribus factum est.

Hic Senatus conscriptus ex Ephesi *φυλαῖς γενικαῖς* eligebatur, quae quinque erant, Ephesii, Bennii, Euonymi, Teii et Carini [3]). Ephesii

1) Suid. s. v. *Πυθαγόρας*.

2) Strab. XIV. 948. C.

3) Steph. Byz. s. v. *Βέννα*. cf. Corp. inscript. ed. Boeckh.

Απεδωκενδεκαιτοις
τηνσφυριδα
εμβαιναιων. φυ.
ενταυτηενεοποιησεν
= *βουλη. Χ. πελασγηος.*

incolae priores erant, quos Androclus in amicitiam acceperat. Bennii, qui in *Βέννᾳ* habitabant; Euonymi, qui ex *Εὐωνύμῳ*, Atticae tribu erant; denique Teii Carinique, coloni e Teo Carinaque, insulis, qui Ephesiis, novas res molientibus, auxilium tulerant. Ita quinque decuriis factis, singulisque e singulis decuriis creatis, constituta est *βουλή* 1), et patres ita electi magistratibus *ἐπικλήτοις* vocatis adjutoribus, omnia regebant 2). Ea omnia argumento sunt, rerum summam optimatum magis, quam populi fuisse. Quae res bello Peloponnesiaco eo confirmata est, quod Ephesii partibus Spartanorum studebant. Sed nihilominus temporibus sequentibus ostracismo contra cives aut nimis pollentes, aut virtute ingenioque nimis insignes usi sunt. Hermodorum enim virum Ephesium clarissimum e patria ejecerant, ita dicentes: *Ἡμέων μηδεὶς ὀνήϊστος ἔστω, εἰ δὲ μή ἄλλῃ τε καὶ μετ' ἄλλων.* Qua de caussa dixit Heraclitus *ὁ σκοτεινός* (et ipse Ephesius), Ephesios dignos esse, qui ad puerum usque omnes strangulentur 3). Is Hermodorus et Ro-

---

1) vid. corp. Inscript. 2953, 2957.

2) Strabo XIV. 948.

3) Strabo XIV. 950. cf. Cic. Tusc. Quaest. V. 36.

mae celeber fuisse videtur. Dicit enim Strabo: *Δοκεῖ δὲ οὗτος ὁ ἀνὴρ νόμους τινὰς Ῥωμαίους συγγράψαι*, quocum consentiunt Plinius, Pomponius, alii.

Ephesus una erat duodecim civitatium Ionicarum, quae ad Panionium conveniebant, ibique communiter Neptuno Heliconio sacra faciebant, quibus praeerant Prienenses [1]). Sic enim urbes illae Hellenicae, ut contra gentes barbaros undique imminentes se defenderent, conjunctae erant. Omnino autem *αὐτόνομοι* erant, neque aliae aliis subjectae: nam bella inter se gerebant, ut Colophonii contra Smyrnaeos et Ephesii contra Magnetes [2]). Neque usque ad illud tempus unquam barbaris serviverant.

Iones autem pauciores erant, quam qui diu se contra barbaros defenderent, et a Graecia remotiores, quam quae satis auxilii ad colonias tuendas mittere posset. Neque inter se concordia firmissima erant. Interea in hoc rerum statu, Lydi, sub regibus bellicosis arctissime conuncti, imperium suum late extendebant, jamque

1) Strabo XIV. 947.

2) Pausan. VII. 5. Herod. Clio 150. Strabo XIV. 940 958.

contra Iones ipsos bellum parabant. Jam anno a. Ch. 689, Gyge in Lydia regnante, Colophonem urbem Ionicam oppugnaverunt ceperuntque [1].

Dum res inter Iones Lydosque ita se habent, novus hostis apparet, qui in gentes ambas saevit.

Scythae Nomades Asiae, ut narrat Herodotus, quum a Massagetis bello vexarentur, Araxe transmisso in Cimmeriam ad Bosporum (*τὴν γὰρ νῦν νέμονται Σκύθαι, αὐτὴ λέγεται τὸ παλαιὸν εἶναι Κιμμερίων*) expeditionem fecerunt [2]. Cimmerii e sedibus antiquis expulsi [3], duce Lygdami [4] in Asiam irruperunt, et Sardes ipsas, praeter arcem [5], multasque urbes Ioniae ceperunt. Illam incursionem memorat Callinus [6] poeta his verbis:

---

1) Her. I. 14.
2) Herod. IV. 11. I. 6.
3) Her. I. 103.
4) Callim. in Dian. 252.
Τῷ δ' ἔα καὶ ἠλαίνων ἀλαπάζεμεν ἠπείλησε
Λύγδαμις ὑβριστὴς ἐπὶ δὲ στρατὸν ἱππημόλγων
Ἤγαγε Κιμμερίων ψαμμάθῳ ἶσον.
5) Strabo I. 61. Eustath. ad Hom. *Λ*. Herod. I. 6 et 15.
6) Callinus ap. Strab. XIV. 958. C.

Νῦν δ'ἐπὶ Κιμμερίων στράτος ἔρχεται ὀβριμοέργων.

Si Hesychio credendum est, Ephesus ipsa a Lygdami capta, Dianaeque templum incensum [1]; cujus autem rei Herodotus mentionem non facit, cuique Callimachi versus obstare videntur:

'Εφέσου γὰρ ἀεὶ τεὰ τόξα πρόκειται [2].

Nec a Cimmeriis solis oppressa est Asia. Scythae enim duce Madye, postquam regiones ad Pontum Cimmerios occupaverunt, in Asiam trajicientes secuti, et Mediâ subvectâ, universa Asia potiti sunt [3]. Gens illa ferocissima sub coelo Asiae suavissimo inter delicias suis terris ignotas effeminata est. Urbibus tributa imposuerunt et a civibus singulis tributa exegerunt [4].

Sed quamquam incursio illa Ionibus magnum detrimentum attulit, neque libertatem neque leges *αὐτονόμους* perdiderunt. Cimmerii enim potius, ut praedones quam ut domini inter illos

---

1) Hesych. s. v. *Λύγδαμις· Λύγδαμις οὗτος ἔκαυσεν τὸν ναὸν τῆς Ἀρτέμιδος.*

2) Callim. hymn. in Dian. 258.

3) Herod. I. 103. Strabo I. 61.

4) Herod. Clio 103. *χωρὶς μὲν γὰρ φόρων ἔπρησσον παρ' ἑκάστων τὸ ἑκάστοισι ἐπέβαλλον.*

habitabant *οὐ καταστροφὴ*, ait Herodotus, *ἐγένετο τῶν πολέων ἀλλ' ἐκ ἐπιδρομῆς ἁρπαγὴ* 1). Nec per longum tempus aderant. Deliciis enim insolitis enervati robore virtuteque pristina destituti, ab Alyatte, Lydorum rege, qui anno 640 a. Ch. Ardyi successerat, ex Asia expulsi sunt; et Lygdamis ipse non multo post in Cilicia mortuus est 2). Discimus ex Hesychii loco proverbium „*Σκυθῶν ἐρημία*" a Scytharum ex Epheso expulsionc derivatum fuisse. *Σκυθῶν ἐρημία παροιμία ἀπὸ τῶν φυγόντων ἐξ Ἐφέσου διαδοθεῖσα· φοβήθεντες γὰρ καὶ ταράχθεντες κατὰ γνώμην ἀπῆλθον· τίθεται τουτῶν ἐρημουμένων ὑπὸ τίνων* 3). Verisimile est, Scythas hoc loco pro Cimmeriis dici, persaepe enim, quum Scythae Cimmeriorum antiquas sedes occupassent, a scriptoribus confunduntur. Alyattes Cimmeriis devictis, bella contra Iones redintegravit, et Smyrnam illam a Colophone conditam et Clazomenas expugnavit 4). Ephesus

1) Herod. I. 6.

2) Strabo I. 61.

3) Habet appendix Vatic. (III. 79.) et utitur Comicus in Acharn. (vid. Scholia v. 704), ut monet Schottus. vid. Alberti ad Hesych. s. v. *Σκυθ. ἐρημ.*

4) Herod. 1. 16.

interea, imperii externi adhuc expers, domestica sub tyrannide jacebat. Factiones, ut in republica jam antea in urbe fuerant et certamen inter plebis regumque partes. Illarum partium princeps, Pythagoras, postquam imperium ἀρχη βασιλιδων vocatum, insidiis everterat, summam auctoritatem occupavit, pristinamque libertatem in atrocissimam dominationem mutavit. Plebem magnis promissis decipiens ditissimum quemque honestissimumque aut spoliavit aut e patria expulit. Divitiarum amore immodico et indole crudelissima impulsi pecunias undique exegit, et caedem caede accumulavit. Neque noxios tantum neque eos, quos metuit, aut qui opibus pollebant, cecidit, sed contra viros innoxios, contra teneras virgines ita saeviit, ut φόρητον οὐδαμᾷ, οὐδαμᾷ ἦν. Nec religio ipsa illi impedimento erat, quominus in templo multos interficeret. Narrat Suidas Pythagoram, quum filiae viri ab eo occisi ad Dianae altare effugissent, vi quidem ex altari rapere eas non ausum, praesidium tamen perpetuum circa altare collocasse. Virgines autem, ne fame consumerentur, vitam suspendio finiisse. Diana, facinore eo irata, pestem famemque urbi inflixit. Quibus malis Pythagoras tandem territus, legatos Delphos misit, sciscita-

turos, quid ad deam placandam fieri opus esset. Respondit Pythia

νεὼν ἀναστῆσαι καὶ κηδεῦσαι τοὺς νεκρούς.

Pythagorae successit Pindarus [1], Melanis filius et Alyattis regis nepos. In puniendo durus, inexorabilis, sed simul familiarum valde amans; voluptatum modicus fuisse fertur, et ne barbaris serviret patria maxime prospexisse. Interea Croesus, Pindari avunculus, imperium suum in Asia extendebat, Ioniamque evertere inceperat. Et ad Pindarum legationem misit, imperans, ut Ephesum sibi traderet. Ast vero Pindaro, id rejiciente, urbem obsedit Croesus, Pindarus, quum turris, quae postea *ὁ προδότης* appellata est, concidisset, et Ephesios diutius se defendere non posse, ratus, iis consilium dedit, ut universam urbem, ne diriperetur, Dianae tanquam *ἀνάθημα* consecrarent. Ephesii ad monitum ejus portas moeniaque columnis Dianae templi, quod ab urbe septem stadia distabat, conjunxerunt. Tum Lydio victori se dederunt. Croesus autem strategema ridens, templo pepercit, et Pindaro tantum expulso Ephesiis ceteris libertatem permisit, cum iisque foedus pepigit [1]). Pindarus, e patria expulsus, in

1) Aelian. var. hist. III. 26. Polyaen. VI. 50. Herod. I. 26. Strab. XIV. 948.

Peloponnesum profectus est, et Croesus, qui primus Graecos ἐς φορου ἀπαγωγὴν evertit [1]), Ephesum, ceterasque Ioniae urbes in potestatem suam redegit. Ephesii usque ad Croesi tempora circa Athenaeum, fontemque Hypelaeum, et locis ad Corresum montem adjacentibus, habitaverant. Nunc autem a montibus in planitiem descenderunt, ubi postea, Alexandri Magni temporibus, templum maximum aedificatum est, atque ibi usque ad Lysimachi tempora habitabant [2]). De aetate, qua templum ab Ephesiis Dianae, ut ἀνάθημα suspensum, conditum est, nihil certi habemus, sed si templum primum a Lygdami Cimmerio combustum fuisse credamus [3]), verisimile videtur alterum Alyattis temporibus aedificatum esse. Idem est, cujus fama Romam regnante Servio Tullio pervenit, ut refert Livius. „Iam tum erat inclytum Dianae Ephesiae fanum; id communiter a „civitatibus Asiae factum, fama ferebat [4]).“ At vero de illo templo non multa scimus, quoniam

1) Her. I. 6.
2) Strabo XIV. 948 B.
3) Hesych. s. v. Λύγδαμις.
4) Liv. I. 45. cf. Dion. Hal. IV. 15.

id, quod postea aedificatum est, multo majus splendidiusque de prioris fama detraxit. Scimus tantum id a Chersiphrone 1) permagnifice aedificatum fuisse, et nocte, qua Alexander Magnus natus esset, ab Herostrato incensum 2).

A Croesi temporibus usque ad Alexandri Mag. adventum.

Ephesus ita a Croeso subjecta, quamvis tributa dare coacta esset, servavit tamen leges proprias, magistratusque suos elegit. Ex Suida discimus, Ephesios hoc tempore Aristarchum, virum Atheniensem, arcessivisse, ut in Pindari locum eum substituerent. Ille per quinque annos ἐμμελῶς τε δὲ σὺν κηδεμονίᾳ Ephesi regnasse dicitur. Sexto autem anno, tempore, quo Harpagus, Cyri dux, Ioniam occupabat, ab Atheniensibus imperio exutus esse 3). Croesi in Ionia dominatio non per longum tempus duravit.

---

1) Strab. XIV. 940. A. cf. Plin. XXXIV. 14. ubi dicit Chersiphronem Alexandri magni temporibus vixisse, et tertium templum aedificasse.

2) vid. Valerium Maxim. VIII. 14. cf. Plut. vit. Alex. III.

3) Suidas. s. v. Ἀρίσταρχος.

Cyrus enim, Astyage avo victo, Mediaque universa in deditionem suam redacta [1]) et Lydiam invasit, atque anno 557. Croesum ipsum vicit [2]). Cyrus, quum primum Lydiam invadere statuisset, legationem in Iones miserat, ut a Croeso deficerent, petens. Iones autem, Croesum timentes, conditionem oblatam rejecerunt. Quum autem nuntium de Cyri victoriis accepissent, legatos Sardes ad Cyrum miserunt, volentes iisdem conditionibus paruere Cyro, quibus etiam Croeso paruerant. At vero Cyrus, quod conditiones priores admittere noluerant, iis valde iratus, eorum petitionibus non concessit, sed fabulam ad illorum ignaviam exprobrandam coram legatis narravit [3]).

Ab aliis quoque reprehensi sunt Iones, ut qui semper tempori cederent. Lamia, meretrix Attica, fertur dixisse οἱ ἐκ τῆς Ἑλλάδος λέοντες ἐν Ἐφέσῳ γεγόνασιν ἀλώπεκες [4]). Tale ingenium habuisse Ephesios facile est ad credendum, quum divites essent, undique ab hostibus cincti et infirmiores, quam ut sua vi se defendere possent.

1) Herod. I. 129.
2) Herod. I. 76.
3) Herod. Clio. 141.
4) Aelian. variae historiae XIII. 9.

Postquam Cyrus Ionibus conditiones concedere recusavit, singuli moenia communiunt, omnesque in Panionium conveniunt praeter Milesios, quibuscum solis Cyrus foedus pepigit iisdem conditionibus, quibus Croesus. Reliqui vero Iones, postquam consilio vocato de rerum statu deliberarant, legatos Spartam mittere decreverunt, auxilium contra Persas petituros. Lacedaemonii autem auxilium ferre nolebant. Miserunt tamen legatos, qui res Cyri Ioniaeque explorarent [1]. Iones interea de spe auxilii externi decepti, ad pugnam se accingebant et singuli se fortes praebebant pro patria dimicantes. Harpagus vero Medus, a Cyro in urbes missus, aggeribus ad muros adjectis omnes evertit et in Cyri ditionem redegit [2].

Ionibus sic iterum servis factis consilium datum est, ut patria relicta Sardiniam classe communi peterent; sed quamquam multi id volebant, non factum est [3]. Reges magno tributo contenti rerum publicarum Ionicarum formas non mutaverunt. Hoc tempore duo Tyranni Ephesi

---

1) Her. I. 152, 141.
2) Her. I. 162.
3) Her. I. 170.

regnabant, Athenagoras et Comas, a quibus Hipponax poeta Ephesius celeberrimus patria expulsus est [1]). Ille poeta notabilis erat ob vultus foeditatem, robur maximum et versuum acerbitatem [2]). Ab Eustathio ὁ πικρὸς Ἱππῶναξ χωλιαμβοποιῶν ἀκράχολα nominatus est [3]). Quum a Boupalo, Athenideque ob deformitatem derisus esset [4]), versus contra eum tam acerbos scripsit, ut sibi laqueo mortem conscivisse dicatur. Id negat Plinius, et illum in exilium tantum ivisse putat. Hipponax parodiarum inventor vocatus est. Ab hoc tempore usque ad Mileti incendium, Ephesi historia ab Ionica distingui non potest. Athenarum aucta potestas Ionibus spem libertatem recuperandi injecit, non enim a patria antiqua externoque auxilio tam remoti sibi videbantur. Et multae iis molestiarum caussae aderant. Nam magna tributa quae regi pendenda erant, et tyrannorum potentiam, quos rex magn. semper sustentabat, aegre tolerabant.

1) Suidas s. v. Ἱππῶναξ. Strab. XIV. 642.
2) Plin. hist. n. XXXVI. 5. 5. Athenaeus. XII. 552. C.
3) Eustath. ad Hom. Od. p. 1639.
4) Suid. s. v. Ἱππῶναξ. cf. Hipponactis fragm. ed. Welckeri. p. 9.

Studiosissimi igitur rerum novarum facti sunt, et mox occasionem adepti sunt. Histiaeus, Mileti tyrannus, qui olim Darium a clade vindicavit [1]), quod tyrannorum amicus esset, nunc captivitatem suam apud regem aegre ferens, Aristagoram, procuratorem suum ad defectionem sollicitat. Aristagoras igitur, Ionibus libertatis spe excitatis, tyrannos ex tota Ionia expulit. Deinde, et sua potestate abdicans, auxilium a Cleomene, Laced. rege, petit. Lacedaemonii autem iterum id recusabant. Tum ad Athenienses se contulit, eosque facile in societatem belli contra Persas conduxit [2]). Athenienses non multo post viginti navibus ad Aristagoram venere, et una cum iis Eretrienses, Milesiorum socii, quinque triremibus.

Hac classe Aristagorae fratres Ephesum navigabant, navibusque apud Corresum relictis, sumptisque ducibus Ephesiis, expeditionem contra Sardes fecerunt, secundum fluvium Caystrum profecti. Sardibus captis incensisque Ephesum versus redeunt. Persae autem eos consecuti, et prope Ephesum nacti in fugam vertunt, multos-

---

1) Her. IV. 137. V. 30.

2) Herod. IV. 97. V. 39.

que occidunt [1]). Tum proelium navale ad Ladam commissum est, et Ionibus victis, Persae Miletum terrae marique suffossis muris, omnique genere tormentorum admoto, obsident, et vi et armis captam diripuerunt incenderuntque sexto anno post Aristagorae defectionem [2]).

At hoc tempore Ephesi gloria maxima initium cepit. Ante Miletum enim captam Ephesus dignitate inferior erat, postea prima urbs Ioniae facta est. Multae causae ad eam augendam conspiraverunt, sed nulla gravior erat, quam bella continua, quae ob Sardes incensas inter Athenas Persasque orta sunt. Ionia enim magni aestimata ab ambabus gentibus, et Ephesus nunc urbium Ionicarum maxima, celebritate hominum et Graecorum ct Persarum aucta est. Ionia a magni regis satrapis administrabatur, qui tyrannos in singulis urbibus sustentabant. Tyrannorum igitur fautoribus imperium Persicum gratum erat, populus autem tyrannidis impatiens oculos in Athenas defixos tenebat, atque inde auxilium sperabat. Post Mardonii ad Mycalen cladem (479) Athenienses Ionum libertatem a jugo Per-

1) Herod. V. 100.
2) Herod. VI. 15. 18.

sico exigere inceperunt, quam post triginta annos consecuti sunt. Artaxerxes, classe a Cimone victa, in pacem etiam famosam iniit, qua Ionibus libertatem concessurum, et neque in mare Aegeo cum classibus navigaturum, neque copias intra trium dierum itinera ab ora se ducturum, pollicitus est. Bello Peloponnesiaco Ionia a Graecis aut Persis regebatur, prout quisque superior esset. Ionia belli theatrum factum est, et continuas reipublicae formae mutationes passa est.

Post Atheniensium in Sicilia cladem lugubrem acceptam, Lysander a Spartanis classis dux creatus, Ephesum profectus est. Appulsus maximo cum gaudio Ephesiis receptus est, qui ut narrat Plutarchus, *κινδυγεύουσαν ἐκβαρβαρωθῆναι τοῖς Περσικοῖς ἔθεσι διὰ τὰς ἐπιμιξίας παρακεχυμένης καὶ τῶν βασιλικῶν στρατήγων αὐτοθι τὰ πόλλα διατριβόντων* 1). Ille navalia condidit, et forum mercatorum et officinas emptorum implevit, unde ab illo tempore primum, urbs hac Lysandri opera spem sequentis gloriae magnificentiaeque concepit. Ob opportunitatem locorum commercium ejus quotidie augebatur, atque emporium Asiae eorum, quae sunt intra Taurum maximum facta est 2).

---

1) Plutarch. Vit. Lysand. III. 6.

2) Strabo XIV. 950. C.

Lysander autem, quamquam Epheso multum profuerit, eo tamen eam maxima injuria affecit, quod in iis gratiam collocabat, qui patriam tyranno servire volebant. Ad hunc finem, iis in omnibus Ioniae urbibus favebat, qui se animos strenuos ambitiososque habentes praebebant *παροξύνων ἑταίρικα ξυνίστασθαι* [1]) et cuique spem injiciens plebe fracta in patria regnandi.

Post Cyri expeditionem mortemque Ephesus iterum a Tissapherne occupata est, qui Ephesios crudelissime tractavit. Non multo post, Athenienses a XXX dominata liberati, Thrasybulum triginta navibus Ephesum miserunt [2]). Urbem ex duabus partibus aggressus est; cum *ὁπλίταις* partem urbis posteriorem ex Corisso, cum jaculatoribus autem et *ἐπιβάταις* ex campo (inter Caystrum fluvium et muros) ceteras urbis partes invadens. Tissaphernes Dianae auxilium tulit, et Syracusani Selinuntiique Ephesiis in Correso succurrerunt, et Athenienses ibi fugatos ad mare secuti sunt. Deinde suis *παρὰ τὸ ἕλος* pugnantibus opem tulerunt et ibi quoque Athenienses in

---

1) Plut. in Lysand. 3.

3) Plutarch. in Alcibid. II. p. 61. Xenoph. Hellen. I. 2. 6—13. cf. Diodor. Sic. XIII. ξ. δ.

fugam vertunt. Tum tropaeum in Corisso victoriae indicium erexerunt. Syracusanis Selinuntiisque ob virtutem eximiam Ephesii multas immunitates dederunt, *ἀριστεῖα καὶ κοινῇ καὶ ἰδίᾳ καὶ οἰκεῖν ἀτέλειαν τῷ βουλομένῳ ἀεὶ*. Et Selinuntiis, quum ipsorum urbs deleta esset, etiam civitatem concesserunt.

Agesilaus postquam rex creatus erat Ephesum venit ad bella in Asia obeundum. Lysander tamen auctoritatem suam minime perdidit, apud Ephesios vero magis, quam rex ipse valebat [1]). Agesilaus Dianam magno cultu et honore dignatus esse dicitur, ita, ut *ὅλην τὴν πόλιν, τὴν Ἔφεσον, θέας* faceret [2]). Et omni studio in bellum contra Persas incumbebat, et secundum Xenophontem Ephesum *πολέμου ἐργαστήριον* fecit. Tertio autem anno, domum revocatus, imperium in Lysandrum transtulit, et Spartam rediit. Sparta vero, quamquam civium virtute Persarum potentiam immensam per breve tempus superare poterat, minor tamen erat et infirmior, quam ut diu exercitus magnos in

1) Plutarch. in Agesil. III. p. 626. Xenoph. Hellen. III. 4. 7.

2) Xenoph. Hell. III. 4. 16.

Asia sustentare posset. Libenter igitur, quum bellum non diutius gerere posset, pacem Antalcidae vocatam iniit, et ex Epheso, quam tenere non posset, anno 387 decessit. Ionia iterum a Persis occupata est, et Ephesus ceteraeque urbes in tyrannorum manus traditae sunt.

Anno 356 Dianae templum Ephesi ab Herostrato incensum est, qua nocte natus est Alexander Magnus. Unde Hegesias ὁ μάγνης dixisse fertur εἰκότως καταφλεχθῆναι τὸν νεὸν Ἀρτέμιδος ἀσχολουμένης περὶ Ἀλεξάνδρου μαίωσιν. Alii vero ex illo rerum concursu, omen infaustissimum intulerunt μεγάλην συμφορὰν τῇ Ἀσίᾳ τετόκεναι nuncupantes. Herostratus id scelus patrasse dicitur, ut opere pulcherrimo consumto, nomen suum per totum terrarum orbem dispergeretur, quod difficillimum est ad credendum. Ephesii igitur, decreto perridiculo, ne hominis deterrimi nomen memoria teneretur, constituerunt 1).

Temporibus post pacis Antalcidae sanctionem usque ad Alex. magn. adventum Ephesus plerumque sub tyrannorum jugo fuisse videtur.

---

1) Strabo XIV. 949 A. Val. Max. VIII. 14. Plut. in vit. Alex. Syncell. chronolog. ed. Bonn. p. 491. Cicero de natura deorum II. 27.

Non tamen inturbatus fuit paucorum dominatus. Arrianus enim cujusdam Heropythi τοῦ ἐλευθερώσαντος τὴν πόλιν mentionem facit, cui statua in templo dedicata esset [1]). Libertas, ab illo parta, a Memnone Rhodio, Darii duce, cum tyranni satellitibus iterum oppressa est.

Illorum tyrannorum notissimus est Syrphax, qui cognomen Pyrrhum affectasse, et ita a populo vocatus esse dicitur; de qua re sic Suidas, ὃς (δῆμος) εἰ μὴν οὕτως ἐβόα διὰ τὸ ἐρυθροπρόσωπον εἶναι ἔλεγεν εἰκότα, εἰ δὲ πρὸς ἔπαινον ἀνδρείας ἔθελγεν ὡς νέον. Magis enim Paridis, ut γυναικομαίνης, quam Pyrrhi similis fuisse videtur [2]). Ultimus Ephesi tyrannus fuit Hegesias, qui ab Alex. mag. expulsus, ab Anaxagora Codro Diodoroque interfectus est. Alexander Dario ad fluvium Granico devicto, Ephesum occupat.

Neque illi Ephesii restiterunt, nam amicus liberatorque visus est. Omnes, qui a tyrannis ex patria expulsi essent, revocavit; et deleto paucorum dominatu δημοκρατίαν instituit, et tributa, quae a barbaris exacta erant, Dianae tribuit. Populus a tyrannide domestica liberatus, a Syr-


1) Arrian. exped. Al. m. I. 18.
2) Suidas s. v. Σύρφαξ cf. Arrian. I. 18.

phace, Pelagone, aliis, qui Dianae templum spoliassent, et Herophyti liberatoris sepulcrum evertissent, crudeliter ultionem sumserunt, tamen ita lasciviebat, ut ab Alexandro ipso cohibendus esset.

Victor Ephesum humanissime tractavit et illi et ceteris Ioniae urbibus patrias leges restituit. Ipse Ephesi commoratus est, Dianae sacra magno cum splendore faciens, et pompam in ejus honorem, universo exercitu armato ducens [1]). Ephesiis templum denuo aedificaturis promisit, se sumtus factos compensaturum ea conditione, ut ipsum operi inscriberent; quod autem recusaverunt Ephesii, dicentes, *οὐ πρέπει θεῷ θεοῖς ἀναθήματα κατασκευάζειν* [2]).

---

1) Arrian. de exped. Alex. I. 18.
2) Strabo XIV. 949.






3 2044 037 681 178

